Ph[illegible]

[illegible] Pantini: Quaestio de natura materiae primae.

QVÆSTIO DE NATVRA MATERIÆ PRIMÆ.

A M. ADAMO PANTINI OPATOuio publicè ad disputandum proposita, in Alma Academia Crac: in Mense Mart: die. 13. Hora 13.

Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes Iacobi Sibeneycher,
Anno Domini. 1621.

f.

IN ARMA PERILLVSTRIVM DD. DVCVM IN ZASLAW.



Hesperias quanquam decedat Phœbus in vndas,
Lux tamen est Lechis; qua ratione? patet.
Occupat à Zasław soboles clarissima Lunam, hanc
Sidus alit, seruant arma, Tiara, viri:
Quid superest aliud præterquam vt tempus in omne
A Zasław sobolem seruet, alatq; Deus.

Illuſtriſſimo Domino

ALEXANDRO DVCI IN ZASLAW

Palatino Bracłauień: &c. &c. Domino & Patrono ampliſsimo. S. D.

LEge publica Academiæ cautum eſt ILLVSTRISSIME DVX, vt qui in gremium illius admitti velit, citra eiuſdem conſenſum, & publicè declaratum ingenij & doctrinæ ſpecimen, in illud recipi non poſsit. Haud enim conuenire putauit, aliquem in ſuo verſari curriculo, cuius apud omnes doctrinæ & eruditionis non extaret ratio. Nā ſicubi, hîc certè Imperarorium illud minus vallet, imo nimis turpe eſt, NON PVTARAM, vbi ſapientia lucidiſsimus Regnorum oculus, domicilium ſibi collocauit, vbi cùm ignorantia infeſtiſsimo ſapientiæ hoſte quotidie concurritur: vbi denique à ciuibus robur animi comparatur. Huic ego legi ſatisfacturus, dùm in certamen Academicum prodeo, non aliunde mihi quærendum patrocinium putaui, quàm ab Illuſtr: Cel: V. vt quam diuino beneficio, velut nouum quoddam fæliciſsi-

mè exortum sidus, datum esse patriæ meæ conspicio, et veneror: ab eadē benignis ac fauentib⁹ radiis in hoc literario negotio lucem mihi dari cupio. Cum enim literæ Principum clientes sociæq; sint, profectò & literarum cultores in horum clientella, vt quibus operas suas consecrarint, conquiescere debent. Et tanto maiorem spem animo concipio, Illustr: Cel: V. patrocinium huius meæ Philosophicæ pugnæ susceptu-ram; cum mecum recogito in Illust: domo & Familia Ducum ornamentis ab ipso Principatu Lituaniæ ductis, splendente, semper virtuti ac optimis quibusque, perfugium, spem ac salutem fuisse. Et quamuis hostium patriæ victoriis, maximè delectetur; nunquam tamen hæc studia, quæ non Marte, sed prudenti consilio, velut armis aduersas arces prosternit, aduersatur. Accipe igitur Illustrissime Ducum, has primitias contentionis meæ in hac palæstra Academica obeundas, tibi oblatas, animo vt soles beneuolo: tuis enim iam auspiciis felicissimis fretus in arenā descendo, de ingenii laude decertaturus, speroque me, si non victorem, at certe non adeo inferiorem ex ea descensurum. Illust: Cel: V. quam diutissime & quam felicissime valere cupio. Crac: 13. Marti, Anno MDCXXI.

Illustris. Cels. V. æternum deuotus.

M. Ad. Pantini Art. & Phil D. A. C. Pos.

QVÆSTIO DE NATVRA MATERIÆ PRIMÆ.

VMateria prima, eſſentialiter pura potentia, habeat aliquem actum, ſimul potentem ſtare cum pura eius potentia; per quem quidem cognoſci poſsit; &, ſi non ordinaria naturæ via, diuina tamen virtute, exiſtere ſine concurſu formæ ſubſtantialis in ea, necne?

CONCLVSIO I.

Potentia ad formam ſubſtantialem, ita eſt de eſſentia materiæ primæ, vt nequeat dici proprietas illi ſuperaddita.

COROLLARIA.

1. *Nomine potentiæ non ſignificatur hîc obiectiua, quam vocant Non repugnantiæ: ne-*

que actiua, quæ est principium transmutandi aliud, sed sola passiua, quæ est principium transmutandi ab alio in quantum aliud.

2. *Potentia materiæ primæ sic accepta, est de essentia ipsius in primo modo dicendi per se, non vero in secundo.*

3. *Nulla datur potentia in materia prima, respiciens immediatè actum accidentalem; sed talis potentia est in composito, radicaliter tamen à materia.*

4. *In materiæ entitate, licet duæ assignentur potentiæ, quæ se formaliter non includant: non tamen inuicem, nec ab ipsa materia realiter distinctæ.*

5. *Priuationis in materia, non ea est ratio quæ potentiæ: priuatio enim solùm est necessaria materiæ ad generationem vt terminus à quo potentia, verò est conditio necessaria ad recipiendas formas substantiales: ob id priuatio, est tertium principium, distinctum essentialiter à materia, potentia verò non.*

CONCLVSIO II.

Materia est pura potentia in genere entis, nullumq; includit actum.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Materia prima ita est pura potentia, vt nullam in se formam, non modo substantialem, sed ne accidentalem quoq; habeat.*
2. *Et cùm nullam formam, tum ne inchoationem quidem seu, gradus quosdam actuales imperfectos formæ alicuius patitur.*
3. *Educi fomas de potentia materiæ, non est habere aliquas inchoationes in ea, sed, esse in actu formam, quæ antea fuit in potentia, non actiua sed subiectiua.*
4. *Hanc potentiam, licebit cum aliquibus dicere rationem seminalem in ordine ad formas corruptibiles, ad quarum generationem in suo genere concurrit: non autem in ordine ad formam humanam.*
5. *Materia prima, non modo actum Physicum, sed Metaphysicum etiam excludit: ideò in prædicamento non est reponibilis, nisi in directè, tanquam pars compositi.*

CONCLVSIO III.

Materia nō potest cognosci atq; intelligi nisi per respectum ad formam substantialē.

COROLLARIA.

1, Materia ex natura sua, non causat similitudinem in intellectu, qua moueatur ad sui notitiam.

2 Nihil tamen impedit, quominus proprium materiæ conceptum intellectus efformet, non tamen sine ordine ad formam.

3. Materia prima negatione optimè cognoscitur.

4. Habitudo materiæ ad formas substantiales, est illi essentialis, ita vt de materiæ essentia, & potentia & habitudo sit.

5. Habitudo materiæ ad formam, dicit respectum non prædicamentalem, sed transcendentalem.

CONCLVSIO IV.

Materia naturaliter existere non potest sine aliqua forma substantiali, naturam in specie entis completa constituente.

COROLLARIA.

1. Materia non est corpus aliquod ex quatuor simplicibus; neq; etiam eius modi, vt seclusa

omni

omni forma, corpus, quod sit trina dimensio, dici poßit: neq; corpus genericè sumptum de Cathegoria substantiæ.

2. Est materia essentialiter incompleta substantia, ad constitutionem compositi, seu substantiæ completæ concurrens.

3. Materia est ingenerabilis et incorruptibilis respectu agentium naturalium tantum: à Deo enim sicut comproducta est rebus, ita cum ijsdem destrui per annihilationem, Deo suum concursum quo illam seruat subtrahente, potest.

4. Materia communiter dicitur à Philosophis, mater corruptionis: non quidem formaliter & effectiuè (hoc enim fit per actionem agentis naturalis, & per contraria, quæ se mutuo depellunt ab eodem subiecto) sed per accidens, quatenus recipere dicitur formam de nouo, cum qua esse non potest, nisi priorem amiserit.

5. Materia habet appetitum naturalem ad formas, qui est eius potentia ad formam & existentiam quibus caret, veluti perfectionibus sibi

ſibiconuenientibus et debitis; ita vt in recto et principaliter dicat ipſam potentiam ad formas et exiſtentiam tanquam ad proprium bonum: includat verò tanquam connotatum quid, et ceu conditionem ſine qua non, priuationem illarum formarum.

CONCLVSIO V.

Materia, ne diuina quidem virtute poteſt exiſtere ſine omni forma.

COROLLARIA.

1. *Indubitanter tenendum eſt, totam exiſtentiam quadam naturæ conſecutione, à forma, tanquam effectum à ſua cauſa, promanare: neq; alteri poſſe cauſæ competere.*
2. *Inde tamen ſequitur, bene illam exiſtentiam poſſe dici propriam materiæ, prout proprium, idem eſt quod non extraneum: quando quidem exiſtere beneficio formæ, eſt valdè debitum naturæ materiæ primæ: Neq; ob hãc communicationem exiſtentiæ à forma, inferet aliquis, eam non eſſe ens ſaltim nominaliter: benè tamen, et cum Ariſtotele (à cuius doctrina,*

na, sobriè de rebus sentientes, non temerè recedũt) asseret, non esse ens participialiter.

3. Vnde fatemur, non minus implicare contradictionem, materiam existere sine forma, atq; album esse sine albedine; sicut vniuersaliter sine forma tàm substantiali quam accidentali, posse existere effectum vtriusq;.

4. Neque pertimescendum est asserere, inter materiam et formam, maiorem esse dependentiã et connexionem, quam inter accidens et substantiam: non obstante eo, quod vtrumquè sit absolutum et realiter à se distinctum: quandoquidem lucidũ realiter distinguitur à diaphano, et quantitas à figura; et tamen neque lucidum sine diaphano, neque quantitas sine figura potest esse.

5. Ridiculum autem et vanum videtur, alium confingere actum existentiæ in materia, præter hunc formalem, correspondentẽ potentiæ subiectiuæ, quem solum et Aristoteles in sua Philosophia agnoscit: Vnde et potentia illum actum introductum respiciens, præter Philosophi mentem astruitur: cùm, si accipiatur

atur à parte ipsius rei, non sit aliquid reale.

Sub felicibus auspicijs Admodum Reuerendi & Magnifici Domini IACOBI TVROBOYSKI de Turoboyce, S. Th. Licentiati, Ecclesiarũ Collegiatarum SS. Omnium Præpositi & S. Floriani Decani, Vniuersitatis Crac: Generalis RECTORIS.